PETRUS PICTAVIENSIS. PETRUS COMESTOR

Frankreich, 13. Jh. Seite 112v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=901
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

redituros. Et cum quasi diem dominice resurrectionis
predixit. hic in terra sua sepultus placida quie-
te dormiuit. Sub eisdem quoque prophauit Ioel
de tribu ruben natus in agro bethoron. qui
descripsit terram duarum tribuum. eruca brucho.
locusta. rubigine: uastandam. Predixit quoque
effusionem spiritus sancti futuram super seruos dei. et an-
cillas. Quod factum est die penthecostes. hic in be-
thoron in pace mortuus est et sepultus. Sub
eisdem regibus prophauit abdias: ut quidam tradunt.
Sed secundum hebreos uerius est: quod ante eos prophauit.
nam mortuus est ante helyseum. Relicta enim
eius: per consilium helysei liberata est a creditoribus:
oleo superhabundante. Fuit autem de terra sychen. de
agro bethamar. quinquagenarius ille cuius pe-
percit helyas. qui relicto obsequio regis: helye
discipulus factus est. cuius sepulcrum usque hodie
cum mausoleo helysei et iohannis baptiste in se-
baste ueneracioni habetur. Sub ieroboam rege
israel: prophauit ionas filius uidue sareptane.
qui post reditum a niniue: tempore famis
assumpta matre: gentium incola factus est.
Nam erubescebat esse in terra sua dicens. sic
auferetur opprobrium meum. eo quod prophans contra ni-
niuem mendax repertus sum. Qui transacta fa-
me: rediit in terram iuda. et defuncta est mater
eius. et sepeliuit eam iuxta balanum delbore.
hic predixit signum euersionis ierusalem. Quod dum
uiderint lapidem lugubriter clamantem: prope sit
finis. et cum uiderint in ierusalem gentes uniuer-
sas: tunc tota illa ciuitas irrecuperabiliter euerte-
retur. Mortuus est et sepultus in spelunca unius
iudicis israel. Cuius sepulchrum monstratur in
una urbium geth. in uiculo iuxta sephorum.
Incidentia. Sub ozia rege iuda: que terminata est monar-
chia assyriorum. Nam sardana paulus ultimus
monarchus: uictus ab arabace medo: semet
ipsum concremauit. Et tunc arabaces monarchiam
ad medos transtulit. sicut ipse tradunt re . hoc enim
fecit darius occiso balthasar. Fuerunt tamen reges assyrii
sed non adeo monarchi: tamen potentes usque ad subuer-
sionem niniue. quorum prophauit naum. latinorum
quartus decimus rex: siluius procas. post quem: quintus deci-
mus rex latinorum: siluius amulius. *De zacharia.*
Anno. xxx.viii. ozie regis *et sellum et manahem.*
iude: regnauit zacharias filius ieroboam
super israel: vi. mensibus. qui fecit malum coram
domino: sicut patres eius. et percussit eum palam: sellum
filius iabes. et regnauit pro eo. et translatum est reg-
num israel de domo hyeu. in generatione quarta.
iuxta uerbum domini. Et regnauit sellum uno men-
se in samaria. Nam manahen filius gaddi de
thersa: percussit eum in samaria. et regnauit
pro eo. qui percussit thersam et terminos eius: eo quod
non ciues sui noluerant ei aperire. Anno. xxx.
nono ozie regis iuda regnauit manahen
super israel. x. annis. et ambulauit in uiis iero-
boam. In diebus eius: ascendit phul rex assyriorum
in thersam. et dedit ei manahen. mille talenta
argenti: ut recederet ab eo. et etiam esset ei in auxi-
lium. Sumpsit autem manahen. l. siclos argen-
ti a potentibus et diuitibus terre: per singulos. Inter
hec munera: tradunt hebrei misisse manahen
uitulos aureos: qui erant in dan et in bethel.
Sed non ueros. Sacerdotes enim dolo sustulerunt au-
reos uitulos. et absconderunt eos. et fecerunt ereos de-
auratos: similes illis. Quos misit manahen
regi assyriorum. Qua fraude post ea percepta: re-
ges assyriorum plurimum exarserunt contra israel. Et
mortuus est manahen. Et regnauit pro eo filius eius
phaceia. anno. l. ozie regis iude. et duobus an-
nis regnauit in israel. Nam phacee filius romelie
ciliarchus eius: interfecit eum in samaria. in conui-
uio. cum l. uiris. et regnauit pro eo: anno. l. secundo o-
zie regis iude. et regnauit. xx. annis in ierusalem.
In diebus *De inicio captiuitatis. x. tribuum.*
phacee: teglatphalassar rex assur ascendit in
ierusalem. Et est ambiguum. an iste fuit phul. uel
alius. Et uastauit omnem regionem trans iordanem.
et captiuas duxit tribus duas et dimidiam. uastauit
quoque galileam: de tribu zabulon et neptalim
multos transtulit secum in assyrios. qui possent
dimidie tribui comparari. Vnde sepe legitur: quod tres
tribus israel captiuauerit. et hoc fuit inicium cap-
tiuitatis. x. tribuum. Porro: osee filius hela in-
terfecit phacee regem israel. et regnauit pro eo.
Anno secundo phacee regis israel: *De ioathan.*
regnauit ioathan filius ozie in ierusalem. xx.v.
annorum erat: cum regnare cepisset. et xvi. annis
regnauit. nomen matris eius: ierusa. filia sadoc.
et fecit bonum coram domino. uerumtamen excelsa non ab-
stulit. Ipse edificauit portam domus domini sub